

ANGINA GANGRAENOSA.

816. **S**i tandem causae anginae (799.) augentur, & in parte nobili magis (801. 802.) haerent, vel & in externis (804. 805.), saepe in gangraenam abit lethalem; id vero novimus 1°. ex signis hujus generalibus (426. 427. 428. 429.) applicatis ad partes obsecras, quarumque functiones laesa; 2°. ex signis propriis; si tumor, rubor que prius conspicui subito, sine bona causa, disparuerint; si dolor similiter sic abiverit; fauces subito aequales, laevesque fiunt; seccae, glabrae, lividae fauces; tum nullam capit magnitudo nimis proiecti malii medelam.

817. In scirrum circa tonsillas, uvulam, palatum, abit angina eorum locorum, ex causis descriptis (392.), unde cognoscitur facile, curatur difficulter: maxime ubi in cancerum jam abiit. Vid. (797.)

ANGINA CONVULSIVA.

818. **S**i nervi motores organorum de-glutitionis, vel respirationis, impediuntur suas exercere functiones in illa organa, oritur paralytica angina; talis a luxatione dentis vertebrae dicitur contingere,

gere, aut alterius vertebrae cervicis ad interiora. Si convulsionum causa quaecunque musculos pharyngis, laryngisve occupaverit oritur subita, suffocativa angina; talis in epilepticis, spasmodicis, hysterics, hypochondriacis saepenumero fit, abit, redit: curatur in primis his, quae iis morbis curandis propria sunt.

819. Ex hac historia data (783. ad 819.) intelligitur ratio observationum Hippocraticarum.

Angina sine ullo signo conspicuo, solo strangulatu orthopnoico se prodens, cum febre acuta, dolore magno capitisi, vel crurum, sine signis bonis cito lethalis, primo scilicet, secundo, vel tertio die.

Angina ἐπιγενέσαι orta ex aliis inflammatoriis morbis, aut si species (801. 802.) nata ex (803. 804. 805.), lethalis.

Angina spumamoris excitans; serum tenui exprimens; foeces alvi sine sensu dimittens; in febre valde acuta sine ullo signo conspicuo occupans; cum recessu tumoris, ruboris, pulsationis in faucibus vel lingua tamen strangulans; ubique lethalis, & praeceps.

PE-